



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Mundum incepisse initio temporis, fides Catholica docet. cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

id est, in filio, secundum illud Apostoli ad Colos. 1. In ipso, scilicet filio condita sunt vniuersa. Alij vero dixerunt corporalia esse creata à Deo mediantibus creaturis spiritualibus. Et ad hoc excludendum exponitur In principio creauit Deus cœlum & terram, id est, ante omnia. Quatuor enim ponuntur simul creata, scilicet cœlum Empireum, materia corporalis, quæ nomine terræ intelligitur, tempus, & natura angelica.

Ad primum ergo dicendum, quod non dicuntur in principio temporis res esse creatæ, quasi principium tēporis creationis sit mēsurā: sed quia simul cum tempore cœlum & terra creata sunt.

Ad secundum dicendum, quod verbum illud Philosophi intelligitur de fieri, quod est per motum, vel quod est terminus motus. Quia cum in quolibet motu sic accipere prius & posterius, ante quodcumque signum in motu signato, dum scilicet aliquid est in moueri, & fieri, est accipere prius, & etiam aliquid post ipsum. Quia quod est in principio motus vel in termino, non est in moueri. Creatio autem neque est motus neque terminus motus, vt supra dictum est. Vnde sic aliquid creatur quod non prius creabatur.

Ad tertium dicendum, quod nihil fit nisi secundum quod est. Nihil autem est temporis nisi nunc. Vnde non potest fieri nisi secundum aliquod nunc. Non quia in ipso primo nunc sit tempus, sed quia ab eo incipit tempus.

CONCLUSIO est affirmans, quam probat S. Thom. ex illo Genes. 1. In principio creauit Deus, &c. Horum autem omnium articulorum doctrina sequenti disputatione altius examinanda est.

DISPVT. CLXXVII.

An mundus potuerit esse ab æterno.

Mundum incepisse initio temporis, fides Catholica docet. cap. 1.

Nullam creaturam etiam permanentem, & incorruptibilem potuisse ab æterno incipere, senserunt Albertus, & alij. cap. 2.

Creaturam permanentem, etiam corruptibilem, sed absque corruptione potuisse esse ab æterno, probabilior opinio fert. cap. 3.

De æternitate motus & generationum an sit possibilis, varie Scholastici docuerunt. cap. 4.

Hoc vniuersum præter generationes substantiarum, & accidentium, quod attinet ad reliqua omnia, potuisse esse ab æterno, probabilior opinio est. cap. 5.

ARTIC. III.

CAPVT I.

Mundum incepisse initio temporis, fides Catholica docet.

DE huius vniuersitatis rerum initio, & duratione non eodem modo antiqui Philosophi senserunt nam multi, vt refert Arist. lib. 8. Phys. cap. 1. & lib. 1. de celo cap. 10. & lib. 12. Metaph. cap. 8. quos ipse sequitur, dixerunt, mundum ab æterno eodem modo fuisse: se: multo plures, alij, idem incepisse, existimant, vt ipse Arist. testatur 1. de celo textu 102. Ex hæreticis autem nullus hætenus docuit, mundum initio durationis caruisse: tamen nonnulli materiam coeternam Deo posuerunt, quos quæst. 44. art. 2. commemorauimus.

Ceterum fides Catholica est, initio temporis seu durationis, Deum omnia creasse, sicut colligitur ex illo, In principio creauit Deus cœlum & terram, & ubi particula, In principio, initium temporis significat, vt notauimus disp. 109. c. 2. sic eam intelligunt patres, quos ibi recensimus. Eadem veritas declaratur Proverb. 8. Dominus possedit me initium rerum suarum, antequam quidquam faceret & Ioan. 1. Clarifica me pater apud tenerisum claritate, quam habui priusquam mundus fieret. & ad Ephes. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Eademque oculis in capite firmetur de summa Trinitate, & fides Catholica.

Confirmari vero potest hoc modo. Confirmationes omnes, quæ videntur probare, mundum deum fuisse ab æterno, friuolæ sunt, vt recte demonstrat noster Bened. Perer. lib. 15. de principiis rerum naturalium: & ex alia parte fere omnes mundi rationes credant, mundum initium durationis habuisse, etiam secundum rectam Philosophiam hoc nobis certum esse debet.

CAPVT II.

Nullam creaturam, etiam permanentem, & incorruptibilem potuisse ab æterno incipere, senserunt Albertus, & alij.

Eterum inter Scholasticos, & Christianos Philosophos controuersum est an sufficiens ratio probetur, non potuisse mundum esse ab æterno; aut sola fides, & reuelatione nobis coherere, æternum non fuisse. In qua controuersia prima sententia est Alberti 2. p. summa, tractat. 1. q. 4. mundi, sub finem in 2. quæst. incidente, & in 2. d. 1. a. 10. Hætenus quodlibet. 1. q. 7. & 8. Masilius in 2. q. 1. 4. 2. in 4. p. illius, & Clibonius in cap. 8. libri primi de fide Damascenus qui affirmant, nullam prolium creaturam potuisse produci ab æterno. In hac quoque sententia est Bonauentura in 2. distinct. 1. parte 1. artic. 1. quæst. 1. & ferit enim simpliciter, impossibile esse mundum fuisse ab æterno, si ille producendus erat ex nihilo, vt reuera produci debebat: at si materia præintelligeretur coeterna Deo, conceditur Bonauentura potuisse in ea Deum inducere formas ab æterno: intelligit autem materiam increatam, vt ponebatur à quibusdam hæreticis memoratis supra quæst. 44. art. 2. & ex eius ratione colligitur: alioquin superuacua esset eius distinctio: cum ergo fides doceat, nullam materiam esse potuisse incretam, & ita senserit Bona. manifeste sequitur illum docuisse, mundum non potuisse simpliciter esse ab æterno.

Prædicta vero sententia probatur primo ratione.